

XXVI. Ex quibus principiis multæ possunt resolutiones deduci, quæ sequentibus articulis latius expenduntur. Nam fere semper attendimus, in deponenda conscientia dubia ad illam partem pro qua stat possessio, hæc enim certius, et firmiter resolvit dubium, aut si non potest liquidari pro qua parte stat possessio, favetur reo, et minus malum eligitur. Unde in primis colligitur, quomodo procedi debet in casu dubii de matrimonio: nam ut dicitur in capite Inquisitioni, de sententia excommunicationis, quando discreta, et probabilis dubitatio animum pulsatur, potest conjux reddere, sed non petere. Hoc enim ex eo principio pendet, quia ad reddendum obligatur jure alterius conjugis, qui possessionem habet, et non dubitat, ad petendum autem impeditur in suo jure, quia dubitat probabiliter, et discrete, id est, practice, et prudentialiter. Si autem resolvatur hoc dubium, jam non impeditur, et poterit etiam petere, quod non negat ibi pontifex, quia jam non currit casus positus in textu, quod discreta, et probabilis dubitatio animum pulsatur. Resolvitur autem tale dubium faciendo sufficientem diligentiam ad cognoscendum de valore matrimonii, qua diligentia facta, si constiterit liquido de aliqua parte, illa est sequenda. Si non constiterit, sed dubitatio maneat, poterit in sua possessione remanere, et non solum reddere, sed et petere, quia jam illa dubitatio non est discreta, et prudens, sed practice est resoluta, si quidem fecit diligentiam quam potest, et possessio ei suffragatur, dubium vero quod restat est pure speculativum, practice vero est certificatum, quia diligentia, quæ moraliter est possibilis, certo facta est, et sic prudenter non potest dubitari.

XXVII. Nec obstat, quod aliqui di-

cunt istum qui dubitat post sufficientem diligentiam, juvari quidem ex possessione, ut non faciat contra justitiam, non tamen ut non faciat contra continentiam. Cæterum si iste ex tali dubio post sufficientem diligentiam manet in possessione sui matrimonii, implicat quod faciat contra continentiam, quia non accedit ad alienam, nec petit debitum ab aliena, nec habet impedimentum aliquod certum quo impediatur uti tali re sua, sicut habet ille qui cum voto castitatis contraxit: ille autem usus, est usus matrimonii in re venerea; ergo si possidet ut non faciat contra justitiam, etiam possidet ut non faciat contra continentiam, quia illa materia justitiæ est materia continentiam, utpote in usu matrimonii, ubi non potest separari materia justitiæ a materia continentiam.

XXVIII. Colligitur secundo, quod dubitans, an emiserit votum, si postquam fecit sufficientem diligentiam ut recordetur, adhuc manet dubius, non obligatur voto, licet aliqui auctores oppositum teneant, ut videri potest apud Vazquez prima secundæ, disput. CLXV, cap. III, in fine; Montesinos hic disput. XXIX, quæst. IV, §. III, num. CXI; Azorium tomo I, lib. II, cap. XIX, quæst. X; Sayrum, Turrianum, Corneio, Basilium Ponce, et alios, quos citat Diana ubi supra resolutione decima, in principio. Et ducuntur eo fundamento, quia tutior pars est sequenda, nec possessio juvat, nisi in materia justitiæ. Limitant tamen quidam, quando sine magna incommoditate, aut difficultate votum potest impleri.

XXIX. Cæterum oppositam sententiam multo plures auctores tenent, quos ibi citat Diana, et specialiter videri potest Soto libro VII de justitia, et jure, quæstion. III, art. II; Medina in summa, libro I, cap. XIV,

§. VII; Alvarez prima secundæ, quæst. XIX, artic. VI, disput. LXXIX, numer. V; Suarez tomo V de censuris, disput. XL, sectione V, numer. XV; Sanchez libro I, de matrimonio, disputat. IX, numero XI, et in tomo primo summæ, lib. IV, cap. I, num. XVI, et alii plures.

XXX. Ratio autem est ex dictis, quia cum votum sit onus gravans libertatem quam quis naturaliter possidet, et jus suum quo potest uti, si est dubium de voto, est dubium de auferente, et spoliante possessionem libertatis. In dubio autem melior est conditio possidentis, nec spoliandus est jure suo, et possessione propter dubium. Quæ regula, ut ostendimus, in omni materia virtutis locum habet, et non solum in materia justitiæ strictè dictæ.

XXXI. Nec obstat, quod votum est sicut lex privata, in dubio autem de lege, teneor illam implere, præsertim si sit lex naturalis, aut divina. Et in dubio de homicidio teneor abstinere a susceptione ordinum; ergo, et in dubio voti teneor illud implere.

XXXII. Sed respondetur, quod in dubio de lege positiva, vel naturali, debet fieri sufficienti diligentia ab aliis, qui de tali lege possunt majorem notitiam habere, et sunt in illa periti, vel etiam ipse legislator si potest consuli. Quod si facta hac diligentia, non constet de lege ipsa, sed dubium maneat, debeo attendere ad usum, et consuetudinem, quæ est optima legis interpret. Si de consuetudine, et usu constet talem legem dari, id est, sequendum. Si non constet de usu, nec possit resolveri dubium, possum uti ea possessione in qua me invenio, quando incepit dubium, sive lex sit positiva, sive naturalis, licet de lege naturali minus dari possit locus dubitationi. De dubio homicidii jam supra diximus esse dubium facti, non juris,

ideoque non tribuere possessionem, sicut in præsentis casu de dubio voti.

XXXIII. Quod si aliquis est certus de voto a se emisso, sed dubitat de materia, circumstantiis, vel effectibus voti, verbi gratia dubitat: an emiserit votum de religione determinata; an in communi dubitat; an promiserit castitatem perpetuam, vel temporalem dubitat; an promiserit jejunium, vel abstinentiam solum a carnibus dubitat; an intra, vel extra annos pubertatis; an post usum rationis, vel ante denique dubitat; an intenderit se obligare, vel non, certificatur tamen se votum emisisse, dico quod in his et aliis similibus dubiis, post factam sufficientem diligentiam, si adhuc manet dubius, attendenda est possessio. Aliqua enim sunt, quæ necessario, et connaturaliter sunt annexa ipsi voto, et sic ab ipso quasi possidentur, sicut quod posito voto sequatur obligatio: alia sunt, quæ libere, et ex nostra mera voluntate subjiciuntur voto, ut quod tanta, vel talis materia voto subjiciatur, quod in tali, vel tali tempore, vel talibus circumstantiis, aut sine illis fiat; hæc enim pro nostra libertate adjunguntur, vel omittuntur in voto.

XXXIV. Dico ergo, quod in his, quæ consequuntur per se ad rationem voti, et sunt propria illius possessio stat pro voto, et non pro vovente, quia propria voti sunt. Et ita si quis certo cognoscit se emisisse votum, sed dubitat, an voluerit se obligare, cum obligatio sit proprietas voti, et possessio ejus, talis censetur obligatus ex vi voti, nisi forte cognoscat, et sciat se habuisse animum non vovendi, si sciret se obligari, tunc enim votum non fuit voluntarium, nec verum votum. In his autem, quæ non sunt propria, et per se connexa cum voto, sed libere

ei apponuntur a vovente, sive ex parte materiæ, sive ex parte circumstantiarum, possessio stat pro vovente, non pro voto, et sic in casu dubii post factam sufficientem diligentiam non manet obligatus, nisi ad id quod minus est, et in quo salvatur substantia voti, de cujus emissionem est certus, non ad id quod majus est, et strictius super quo dubium intercedit. Et sic existente dubio (post factam sufficientem diligentiam) de castitate perpetua, aut temporali, tenetur solum ad temporalem, quamvis si recordatur se vovisse castitatem, nihil limitando, de perpetua intelligi debet, quia his verbis perpetuitas voti solet intelligi. Si dubitat (post similem diligentiam) an intra annos pubertatis, vel postea roverit, ante pubertatem vovisse censendum est, et ita potest irritari votum a parente, vel tutore. Et sic de aliis.

XXXV. Colligitur tertio, quod in casu dubii de legitimatione, post factam sufficientem diligentiam, pro legitimo potest quis reputari, quia est possessor suæ famæ, qua spoliandus non est ob tale dubium. Quæ sententia communis est.

XXXVI. Colligitur quarto, quod in dubio de lege, an detur, vel non detur, si prælatus consuli potest, aut ille qui sciat talem legem dari, vel non dari, vel de ejus usu, et valore, id faciendum est tamquam sufficientem diligentiam, et requisita. Si autem ea facta, aut alia quæ possibilis sit pro tempore, et loco, adhuc dubium maneat de lege, an detur, vel non detur, judicandum est non dari, nec obligare, quia subditi possident libertatem; patet enim quod ante legem latam eam possidebant, ergo ex superveniente dubio legis spoliari non debent propter solum dubium de tali lege.

XXXVII. Quod si lex sit certo posita, sed dubitetur de jurisdictione,

et potestate prælati, vel legitima electione, si post sufficientem diligentiam non constet, sed dubitatio maneat, judicandum est in favorem libertatis subditorum, quia in tali dubio de jurisdictione superior est pars quasi litigans, et sic non formaliter superior, subditi autem ante talem legem positam in illa materia, vel ante illam electionem, vel jurisdictionem dubiam possidebant suam libertatem. Ergo ex jurisdictione, vel potestate dubia superveniente, aut ex lege a tali potestate dimanante, non debet quis spoliari possessione sua, quam habebat pro libertate, sed debet favori reo, et possessori. Si vero materia illa non sit talis, quod dubitetur de potestate prælati circa illam, sed dubitetur de ipsa materia in se, an sit justa vel injusta, conveniens vel disconveniens, contenta vel non contenta in jurisdictione prælati (dummodo de ipso prælato, et superiori constet quod vere, et legitime prælatus sit, quantum est ex parte subjecti) tunc in casu dubii vincit jussio prælati, quia ipse possidet, et habet jus ad præcipiendum, et declarandum; nec in casu dubii talis culpatur subditus, qui obedit prælato, sed iudicium prælati dissolvit dubium ex capite Quid culpatur xxiii, quæstione prima. Qua ratione excusatur, qui dubius de infirmitate, comedit carnes, aut omittit recitare ex prælati sententia, aut qui est dubius de modo recitandi, et conformat se communitati, et directioni prælati. Et qui dubius de injustitia belli, obedit regi post factam sufficientem diligentiam de illius justitia. Et qui dubius de revelatione secreti, an liceat in hoc casu, obedit prælato præcipienti quando prælatus, et rex non constat iniquos, et imprudentes esse, nec dubium sit de jure, seu juridico modo procedendi, aut legitima potestate præcipiendi, si enim sit du-

bium de hoc, superior non possidet, et potius favendum est reo, et suam libertatem possidenti. Sed de hoc latius sequenti articulo.

XXXVIII. Colligitur quinto, quod in dubio, an casus sit reservatus, ut privilegium concessum, nec reservatio obligat, nec privilegium suffragatur, quia utrumque est stricti juris, nec possessio stat pro reservatione, aut privilegio, sed pro opposito. Nam reservatio est quasi quædam lex, aut jussio superioris restrictiva, et impeditiva libertatis, et potestatis inferioris, quam ipse de se possidebat, nisi supervenisset superioris restrictio; ergo tali possessione non est spoliandus propter dubium supervenientis reservationis, si post factam diligentiam non constat de veritate, sed manet dubium.

Nec dici potest, quod in casu dubii, an aliquid sit peccatum mortale, tenetur quis illud confiteri propter periculum remanendi in peccato; ergo similiter in casu dubii de reservatione tenebitur ad superiorem accedere propter periculum, ne maneat in peccato sine absolute.

XXXIX. Sed respondetur esse disparem rationem, quia reservatio est solum de lege positiva humana limitante potestatem inferioris, quam de se ipse possidebat, et poterat absolvere; unde in casu dubii cum iste spoliari non debeat sua potestate, et jure, relinquatur quod possit illo uti. At vero in casu dubii de peccato commisso, dubium solum est de ipso facto, non de jure aliquo possesso ab isto poenitente contra jus divinum de confitendis peccatis, nam contra hoc jus nulla est possessio libertatis, qua spoliatur peccator. Unde in casu dubii non de ipso jure divino, sed de ipso facto commissio peccati, nulla est possessio peccantis, sed solum periculum ma-

nendi in re sine remissione peccati, cui periculo obviandum est, quia potius est in beneficium dubitantis. Similiter privilegium est beneficium principis eximens a lege, seu communi consuetudine, quæ de se erat in possessione, et omnes complectebatur; ergo si datur dubium de tali beneficio, et exemptione, possessioni legis standum est.

XL. Colligitur sexto, quod in casu, quod utraque pars est periculosa, et parum tuta, ita quod non potest vinci ejus dubium, etiam in praxi, tunc oportet videre duo. Primum, an sit necessitas urgens eligendi alteram partem, vel jure meo uti possim in aliqua illarum: secundum, an ex his duabus aliqua sit minus mala; an vero utraque sit æque nociva; an aliqua pro se habeat majora, vel fortiora fundamenta, vel æqualiter se habeant propositis pro utraque parte fundamentis, ita quod plus vel minus parificentur. Si non sit necessitas urgens, aut jure proprio non cogat uti, neutra pars est sequenda, quia neutra est practice probabilis, sed imprudens (nam si altera possit reddi practice probabilis faciendo sufficientem diligentiam, tunc solum manebit speculative dubia, practice autem, seu prudentialiter tuta) stante autem imprudentia, dictamen non potest esse probabile, sed defectuosum in praxi, et consequenter non tutum, nec licitum. Si vero necessitas urget, aut jus proprium intervenit, et in utraque parte inconvenientia apparent, illud eligendum, quod minus malum est, ut discernitur in jure capite Juvenes de sponsalibus, et capite Nervi distinct. xiii. Tunc enim ratione necessitatis urgentis, aut juris quator, illud quod de se malum videbatur, non est malum, quia pro casu necessitatis redditur licitum; sicut tollere alienum in casu necessi-

tatis non est illicitum, quod extra illum, licitum non est; si enim adhuc pro tali casu maneret illicitum, peccarem faciendo, et sic non excusaret, nec facere possem. Et præsertim si altera pars sit venialis, altera mortalis, sequi mortalem peccatum grave est. Et si utrumque sit mortale, sed inter unum, et alterum sit notabilis excessus, quod minus est, debet eligi, id est, id quod ratione necessitatis instantis, licitum reddi potest.

XLI. Quod si utrumque sit æque malum, et inconueniens, aut plus, vel minus, eligi debet quod pro se habet majora fundamenta: aut si æqualia sunt, quodcumque potest eligi; aut ut uno verbo dicamus id quod ratione urgentis necessitatis redditur licitum, et eligibile, id sequendum est, ideo enim (ut diximus) in casu necessitatis instantis minus malum eligitur, quia hoc practice, et prudentialiter censetur conueniens et licitum, si enim illicitum maneret, non posset eligi neque fieri. Unde vix potest casus dari in re, et moraliter in quo utraque pars sit ita perplexa, quod utraque maneat ex æquo mala, et illicita etiam practice, etiam urgente, et instante necessitate, eo quod si pro casu illo necessitatis redditur practice eligibilis, et sequibilis illa pars, oportet quod non remaneat illicita, quia si est illicitum, non est prudens, nec practice probabile; ergo non est eligibile, nec sequendum, quia non potest eligi, neque sequi id quod peccatum est, et offensa Dei, nec de hoc potest dari dictamen nisi malum. Ergo si illud dictamen, ex duobus malis minus est eligendum rectum est, quia a jure traditur, oportet quod illud minus malum in casu talis necessitatis illicitum non maneat si eligi potest, et per consensum sequi, non solum permitti.

XLII. Quomodo autem se debeat gerere minister in dubio circa ministracionem sacramentorum, dicitur articulo sexto.

XLIII. De conscientia scrupulosa quomodo deponenda sit, dico quod vel est certum, et constans tale dubium esse merum scrupulum, et minoris momenti, vel nondum, id est, constans, neque certum, sed in hoc ipso est difficultas, an sit verum dubium; an solum scrupulus, qui est aliquid minus quam dubium. Si non constat de hoc, sed est difficultas de hoc ipso, an sit scrupulus vel dubium, procedendum est circa illud, sicut circa conscientiam dubiam, et eisdem regulis deponenda est.

XLIV. Cujus ratio est manifesta, quia quamdiu non discernitur, an aliquid sit scrupulus, vel majus scrupulo, major aliqua diligentia requiritur pro formando dictamine prudenti, quam si constaret esse merum scrupulum; illa autem major diligentia, et discussio non potest requiri, nisi propter aliquod dubium majus scrupulo; ergo regulis dubii, et non meri scrupuli conscientia illa reformanda, et deponenda est.

XLV. Si autem constet aliquid esse merum scrupulum, id est, dubium ortum ex levibus motivis, et parum fundatis, non requiritur uti rationibus, et disputationibus ad deponendam talem conscientiam scrupulosam, sed ad consilium sui pastoris, seu spiritualis patris debet deponi; imo non habet aliud remedium efficacius scrupulosa conscientia, quam ut deducatur aliorum consilio, non proprio, imo posito consilio sui pastoris debet contra talem scrupulum agere, non obstante aculeo propriæ apprehensionis. Sumitur hoc ex decisione textus in capite Inquisitioni, de sententia excommunicationis, ubi dicit pon-

tifex: « Quod conscientia levis, et temeraria (id est, fundamento carens) explodi debet ad sui pastoris consilium. » Ergo scrupulosa conscientia, quæ idem est ac levis, quia levibus ducitur conjecturis, et motivis, non indiget alio motivo ut reformetur, quam consilio sui pastoris. Et nomine pastoris, etiam quicumque vir doctus debet intelligi, quem pro consilio in patrem quis accipit, hic enim fungitur vice pastoris in dirigendo. Cum autem scrupulosa conscientia in re ipsa non inueniat motiva, et fundamenta (si enim fundamenta haberet scrupulus non esset) sed in apparentia suæ apprehensionis, non potest efficax remedium habere quamdiu ducitur quis propria apprehensione, et discursu, sed alieno consilio, idque communiter sine multa disputatione, quia tales imaginationes, et apprehensiones disputatione, et multaratiocinatione plus solent intricari, cum nesciant eas solvere.

XLVI. Quod si inquiras: Quando judicari poterit aliquid esse merum scrupulum, et dubium non fundatum, cum in hoc maxime scrupulosi laborent, quia existimant suum dubium maxime esse fundatum,

XLVII. Respondetur scrupulosum animum ex triplici fere causa provenire. Primo, ex causa aliqua extrinseca, puta ex aliqua prava dispositione corporali, vel illusionem diaboli, aut multa communicatione aliorum scrupulosorum: secundo, ex aliqua mala dispositione interiori voluntatis, verbi gratia, ex aliqua nimia timiditate, et trepidatione pro quacumque re, vel ex nimia anxietate cupiendi certiorari in omnibus, et sub quadam certa securitate procedere, ex qua etiam causa oriri solent dubitationes, seu fluctuationes, aut inquietudines in rebus fidei: tertio, oriri solent scrupuli ex aliqua prava dispositione intellectus,

aut quia nimis rudis est ad discernendum, aut nimium protervus, et arrogans ad non subjiciendum se aliorum judicio, aut parum expeditus in rationibus apparentibus solvendis, et extricandis, verbi gratia, quia valde apprehendit illud principium: Tutius est eligendum in dubiis: et quod si esset in articulo mortis, non esset contentus illa opinione probabili, sed alia securiori: et quod bonarum mentium judicium est ibi culpam agnoscere, ubi etiam culpa non est: et quod judicium Dei valde terribile est, nec nostris opinionibus ducitur, sed ipsa rei veritate. Quibus principiis, et aliis similibus, quæ in se vera sunt, sed male a scrupulosis applicantur, discruciantur eorum conscientia.

XLVIII. Igitur cognita dispositione subjecti, et examinatis fundamentis, seu rationibus dubitandi, facile poterit cognosci, quale sit illud dubium; an leve, et scrupulosum; an fundatum, et ponderosum. Nam rationes fundantes dubium oriuntur ex ipsa difficultate rei in se, non ex prava dispositione subjecti, non ex apprehensione falsa asperitatis, et duritiæ legis divinæ, et severitatis Dei, sicut ille qui in parabola evangelica dicebat: *Timuite quia homo austerus es, tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti*, Lucæ XIX. Nec ex aliis similibus apparentiis, et imaginationibus, quæ sunt quasi generales, et non oriuntur ex ipsa speciali difficultate rei de qua agitur, sed ex mala dispositione, et applicatione subjecti circa illa generalia principia.

XLIX. Hoc ergo debet attendi in judicandis, et discernendis scrupulis, an solum meri scrupuli sint, et impertinentes dubitationes; an vera, et fundata dubia, videlicet, quod scrupuli non habent rationem dubitandi fundatam in ipsa re de qua agitur, sed leviter movent, et facile

illis potest satisfieri attendendo ad rationabilem conscientiam, sed fere scrupuli fundantur in prava dispositione subjecti. Primo quidem, quia nolunt acquiescere rationibus moralibus, et communiter receptis, et in consuetudine rationabili positis: secundo, quia prætendunt rationes quasdam generales de timore divinæ severitatis, et iudicii, aliisque similibus, nec volunt assecurari rationibus sapientum, et communi aliorum hominum consuetudine, nec fundantur in rationibus specialibus ortis ex difficultate ipsius rei de qua agitur, quia hæc difficultatem fundatam, et considerabilem non habet: tertio, quia sunt valde timidi, aut irresoluti in operando, aut nimis appetunt certitudinem, et evidentiam, nec moralibus rationibus, et prudentibus acquiescunt, præcipue cum illis dicitur, quod si lex divina ita stricta esset, et omnes homines ita discruciantur sicut ipsi, lex divina non esset lex, sed laqueus, reddereturque gravissimum, et impossibile jugum. Si isti rationi nolunt acquiescere, sed magis sua apprehensione duci, meri scrupulosi sunt, nec cum illis contendendum est rationibus, sed præcipere ut ad consilium, vel jussionem patris spiritualis deponant scrupulum, et operentur contra illum: quarto, si aliqua ægritudine graventur, vel aliquo humore melancholico, aut illusione diaboli, vel communicatione aliorum scrupulosorum, unde fiunt multum imaginativi, et apprehensivi, et tenaces suarum dubitationum, tunc non est cum eis disputandum, sed oportet eis medicinam impendere, vigilias, aut jejunia nimia coercere, orationibus contra diabolum munire, communicationem aliorum scrupulosorum prohibere, et interim quod proprio iudicio non ducantur, sed consilio sui pastoris, et sic paulatim ab illis

vexationibus, et cruciatibus conscientia liberare.

L. Hæc omnia diligenter debet confessarius inquirere, et causas, seu origines scrupulorum cognoscere, an in aliqua apparenti ratione fundetur, ut illam dissolvat; an in aliqua prava dispositione animæ, vel corporis, ut in aliquo nimio timore, arrogantia, appetitu certitudinis seu evidentia, aut in aliqua corporali ægritudine, ut juxta talem conditionem possit curari, et persuaderi ut scrupulos contemnat.

LI. Quod si rationes dubitandi fuerint fundatæ non in ipsa dispositione prava subjecti, sed in ipso objecto, et difficultate rei quæ tractatur, tunc rationibus agi potest ad convincendum, seu solvendum dubium, vel facta sufficienti diligentia operari perinde, ac si non esset dubium, juxta regulas supra positas.

LII. Quod attinet ad conscientiam erroneam, aut clare cognoscitur error, aut ignoratur invincibiliter, aut vincibiliter, vel cum aliquo dubio. Si clare cognoscitur error conscientia, hoc ipso debet statim deponi, quia erronea, et falsa est. Si ignoratur invincibiliter, non nocet, nec potest deponi propter illam ignorantiam, quousque tollatur, et cognito errore deponatur. Si vincibiliter, aut dubie ignoratur, quia est negligentia culpabilis in cognoscendo errorem, vel dubitatio aliqua de veritate, debet diligentia sufficienti fieri ut cognoscatur error, et si ea facta cognoscatur, statim debet deponi, utpote cognito clare errore. Si vero clare non cognoscatur, sed maneat sub dubio, jam non est erronea, sed dubia conscientia, debetque deponi, et reformari juxta regulas supra positas de conscientia dubia post sufficientem diligentiam.

ARTICULUS V.

De conscientia in particulari: et primo de conscientia principis.

I. Licet hucusque tradiderimus generales regulas formandi, et reformandi, seu deponendi conscientiam, tamen quia in practicis non sufficit res in communi tractare, in particulari propter speciales difficultates occurrentes, ideo de quibusdam conscientia, quæ specialem difficultatem habent, seorsum agendum est. Et primo occurrit conscientia principis, seu superioris.

QUID DE FORMATIONE CONSCIENTIÆ PRINCIPIS?

II. Princeps in quantum princeps, et similiter superior, etsi non sit supremus princeps proprie respiciunt regimen, et directionem aliorum, ideoque in formanda tali conscientia proprie respicitur, et attenditur iudicium, et dictamen in ordine ad subditos, in ordine ad quos regalitas, et superioritas exercetur, in quo principaliter attenduntur quinque, quæ majorem ingerunt difficultatem. Primum est leges ferre, seu præcipere aliis; quæ probabilitas ad id sufficiat: secundum est indictio belli: tertium est impositio tributis, et vectigalium, seu aliorum onerum: quartum est mutatio monetæ: quintum est jus, et successio ad regnum, vel ad prælaturam. Et in his omnibus est difficultas, quomodo debeant res istæ consuli; cum quibus, et quid requiratur ut probabile, et prudens iudicium formari possit, an semper sequendum sit id quod tutius, et probabilius; ad

sufficiat id quod minus probabile.

III. Dico ergo primo: Princeps, seu superior, qui indubitate, et legitime est talis, habetque indubitam jurisdictionem ad ponendum præceptum, et ferendum leges, potest uti probabili opinione circa materiam præcepti, et non solum probabili, ut præceptum validum sit, et subditus teneatur obedire. Dixi quando est legitime, et indubitate superior, seu princeps, quia si ejus jurisdictio sit dubia, et facta sufficienti diligentia non constet, jam supra diximus possessionem stare pro subditis, qui possident libertatem suam, nec possunt illa spoliari propter dubium jus alterius; nisi forte pars ipsa consenserit, et existente dubio, vel probabili jure principis, populus pro bono pacis, vel ob alia motiva ipsum in principem acceptet, eique obedientiam juret, tunc enim jus illius certum redditur. Si autem maneat dubium jus ipsum, seu potestas superioris, vel principis, nec subditi ei cedant, aut jurent, non obligantur obedire illius præceptis, propter rationem dictam, et articulo præcedenti tactam, quia in casu dubii, subditi possident suam libertatem, nec debent jure suo, et possessione ob dubium spoliari.

IV. Casus ergo conclusionis procedit, quando princeps, seu superior habet legitimam, et indubitam auctoritatem. Et in tali casu dicimus, quod ad ferendum leges, et præcepta sufficit uti opinione probabili circa materiam præcepti, ut valide præcipiat, et legem ferat, ita ut si sit dubium, an legislator excedat suam jurisdictionem ratione materiae, dummodo non contineat manifestam injustitiam præceptum teneat, et subditus debeat obedire. Ita ex Soto, de tegendo secreto membro III, quæst. II; Adriano quodlibeto II, puncto II, et aliis do-